



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. Quomodo, & quando sortiatur quis forum, ratione domicilii, sive  
origins, sive habitationis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. II.

*De variis causis, seu modis, quibus constituitur forum competens.*

Ordinarij sunt quatuor modi, quibus forum competens constituitur, & sortitur aliquis, prout habetur ex *cap. ult. h. t.* ratione domicilii scilicet, ratione contractus, ratione delicti, & ratione rei sitæ in certo territorio aliquo. Præter hos quatuor modos, de quibus pauld post, sunt etiam extraordinarij aliqui & generales, quibus forum quis sortiri poterit. Sic primò ex *e. Licet 20. h. t.* patet, quòd advenæ & peregrini in curia Romana conveniri possunt, si Romæ existant, quamvis ex nullo alio quatuor modorum prius enumeratorum forum competens Romæ sortiantur; Clerici quidem in omnibus causis tam Ecclesiasticis, quàm temporalibus, tam Civilibus, quàm criminalibus; Laici verò saltem in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, cum enim omnes Ecclesiæ totius mundi sint in territorio Papæ, consequenter respectu omnium Ecclesiis illis subditorum competens Judex est Papa. Per hoc tamen non negatur taliter convento, ex justa & necessaria causa, litem sibi Romæ intentatam domum revocare ad forum domicilii, ubi ad respondendum melius instructus est, & quamvis *Trident sess. 24. c. 20. De refor.* velit, ut causæ Ecclesiasticæ in prima instantia coram Ordinariis locorum cognoscantur, ac terminentur, per hoc tamen nihil derogatum voluit *Cap. Licet.* Cum omnium locorum Ordinarius dici possit etiam Papa, & Roma sit communis omnium in Christo fidelium patria.

Secundò possunt etiam sortiri forum aliqui ratione causæ, prout causæ Ecclesiasticæ & Spirituales etiam Laicorum coram Judice Ecclesiastico tractari debent, etsi nec ratione domicilii, nec ex alio ordinatio capite, ad talem judicem personam tale spectarent. Tertio, possunt spectare forum sortiri aliqui, ob certa illis concessa privilegia, quibus ab ordinario foro exempti, certo foro gaudent. Quarto ratione Communitatis privilegiatæ, cui adscripti sunt, Et quinto denique ratione continentia, & connexionis causarum, de quibus suis locis.

## §. III.

*Quomodo, & quando sortiantur quis forum, ratione domicilii, sive originis, sive habitationis?*

Duplex est forum domicilii, originis scilicet, & habitationis. Originis domicilium ibi quis censetur habere, ubi quis natus est ex patre, qui non tantum per modum transeuntium in hoc loco, ubi quis natus est, morabatur, cum ubi domicilium habeat, sed in quo pater nati filii stabile domicilium habebat, si tamen aliquod haberet, licet filius extra hunc locum ex occasione transeuntis, per aut fugæ natus sit. Imò juxta aliquos ibi etiam forum originis sortitur aliquis, ubi pater illius natus, vel si ipse nepos vivente avo, & in hujus potestate natus sit, avitæ originis forum sortitur: nunquam autem matris, nisi sit vulgò quæsitus, qui patrem demonstrare non potest. Et quamvis de jure fortius sit domicilium originis, quod immutabile dicitur (neque enim qui in hoc loco v.g. natus est, non potest esse aliquando in hoc loco

natus



non natus) domicilium tamen habitationis quoad jurisdictionem præfertur; & recepta passim consuetudo habet, ut mutato domicilio ex loco originis in alium locum, jura etiam originalia, quoad officia, munera, & præstationes, &c. amittantur.

Domicilium habitationis verò ibi censetur quis habere, ubi actu habitat, & animum habet permanendi, nisi quid occurrat, quod animum illius immutet, ita ut duo requirantur ad constituendum domiciliū, actualis scilicet habitatio (saltem inchoata) & animus permanendi in tali loco; & sicuti Clericus duo beneficia habens, in diversis Ecclesiis, quorum quodlibet residentiam per dimidium v. g. annum requirit, domicilia habere dicitur, si in quolibet beneficio conveniente tempore residet, sic etiam Laicus dici potest duo domicilia habere, si in duobus v. g. locis per æquales anni partes actu habitat, cum animo, ita utrobique residendi, ita ut in quolibet loco ex ratione domicilii conveniri possit, etiam ob contractus, & crimina alibi commissa, tanquam absolute loci illius Magistratui subditus, si ab alio iudice loci illius, ubi contractum, aut delictum est, non fuerit præventus. Vagi autem, qui nullibi sedem stabilem habent, sicut ubique, ubi existunt, conveniri possunt, juxta illud, ubi te invenero, ibi te judicabo. Qui verò alibi quidem stabile domicilium habent, ad alium tamen locum veniunt, animo per annum v. g. vel majorem anni partem ibi commorandi, censentur, si in tali loco dicto modo morentur, quasi domicilium in tali loco habere, ut de delictis aut contractibus v. g. etiam alibi commissis conveniri

*Compend. Pirhing.*

coram loci illius iudice possint, prout famuli, milites, præsidarii, studiosi, &c. se habent. Quòd si tamen absque dicto animo longius in loco tali permanendi, ad locum talem accedant, præter opinionem tamen suam per accidens diutius ibi morari cogantur, non dicuntur quasi domicilium ibi habere, sed hospites tantum & loci illius peregrini.

§. IV.

*Quomodo constituatur forum ratione delicti?*

**R**atione delicti sortitur quis forum, & subicitur jurisdictioni illius Judicis (in foro externo scilicet in cujus territorio deliquit, etiam si aliàs ei subditus non esset (ut scilicet scelera in eo loco puniantur publicâ vindictâ, ubi commissa fuerunt; & ob bonum publicum manifesta sit delicti puniatio, ubi cum offensa boni publici delictum commissum est. *arg. C. Postulasti 14. h. r.*) si in tali loco, ubi deliquit, deliquens deprehenditur, vel si antequam ex territorio tali egredia- tur, citatione perventus fuit. Sicuti autem nullum delictum exceptum est in tali loco commissum, quod territorii illius iudicis jurisdictionem non subeat, ita nulla persona exempta est, ab hoc delicti foro, (si tamen delictum non tantum sit contra particulare statutum aliquod, ad quod fortassis alter non tenetur, sed contra jus commune) pro conditione tamen personæ, ut scilicet Ecclesiasticus delinquens forum delicti huius ratione sortia- tur apud Ecclesiasticum illius loci iudicem, sæcularis verò apud sæcularem iudicem, & regularis apud regularem juxta *Trident. constit. Sess. 6. C. 3. de refor.*

H h

*Et Sess*